



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXVIII. De Stupro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

secundò admoniti non se emendent, fructus omnes amittunt, & sunt ab administratione beneficiorum suspensi. Si post tertiam monitionem non paruerint, beneficiis, & pensionibus perpetuò privandi sunt. Quòd si postquam eas dimiserint, intermissum consortium repetant, excommunicantur. Antonell. dict. lib. 6. cap. 29. num. 3. Thesaur. de Pen. Ecclesiasticis part. 2. verb. Concubinitus cap. 1. & Pignatell. d. consult. 139.

10. *Quer.* Quomodo puniantur Clerici Concubinari non habentes pensiones, aut beneficia? *Resp.* Punandos esse carceris pœna, suspensione à Divinis, inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve pœnis juxta qualitatem delicti, & contumaciæ. Concil. Trident. d. sess. 25. de ref. cap. 14. & Pignatellus ubi ante.

11. *Quer.* Quomodo fieri debeant monitiones per Episcopos Clericis Concubinariis? *Resp.* Quòd fieri debent monitiones speciales, & personales, non autem generales per Edictum. Garzias part. 11. cap. 10. num. 186.

12. *Quer.* An debeant esse tres distinctæ monitiones, aut una, quæ dicatur valere pro tribus? *Resp.* Cum hac distinctione, Ad hoc ut procedatur ad primam, secundam, & tertiam pœnam statutam à Concilio, id est, privationem tertie partis fructuum, privationem omnium fructuum, & demùm ad privationem beneficiorum, non sufficere unam monitionem cum clausula, quòd debeat valere pro tribus; quia pro quacunque ex dictis pœnis infligendis, requiritur sua specialis monitio. Porro, antequam infligatur unaquæque ex dictis pœnis, potest fieri vel trina monitio, vel una tantùm cum clausula, quòd deservire debeat pro prima, secunda, & tertia Canonica monitione, quod est diligenter advertendum in praxi. Thesaur. de Pen. part. 2. Verb. Judex cap. 2. & Pignatellus dict. tom. 9. consult. 139.

13. *Quer.* Quantum tempus debeat intercedere inter suprascriptas monitiones, ac pœnarum infligationem? *Resp.* Arbitrio Episcopi. Garz. dict. part. 11. cap. 10. num. 186.

14. *Quer.* An possint fieri dictæ monitiones ab Episcopo Clericis Concubinariis etiam verbaliter? *Resp.* Affirmativè, puta per verba reprehensiva. Saravia de jurisdict. Adjunctior. qu. 16. num. 13. Marta de jurisdict. part. 2. cap. 36. num. 15. Sed constare debet de monitione verbali facta ab Episcopo, vel per duos testes, vel per Instrumentum à Notario publico rogatum. Idem Saravia dict. quest. 16. num. 16. & Marta part. 3. cap. 3. num. 8. Undè falluntur Episcopi, qui monent Clericos incontinentes secretò, & in cubiculo sine testibus, quia tunc non valet illa monitio ad elevandas pœnas statutas à Concilio. Scaccia de Judic. lib. 1. cap. 9. per totum.

15. *Quer.* An Clerici Concubinari possint absque dictis monitionibus ab Episcopo puniri? *Resp.* Affirmativè, quando Episcopus non vult infligere pœnas statutas à Concilio Tridentino, sed intendit procedere ad alias pœnas, puta, carceris, seu pecuniarias;

quia tunc absque dictis monitionibus potest Concubenarios coercere. Bellet. rit. de Favor. Cleric. Real. §. 5. num. 48. Antonell. dict. lib. 6. cap. 29. num. 4. & Pignatellus d. tom. 9. Consult. 139.

16. *Quer.* An dictæ monitiones sint necessariæ, quando Concubinitus est publicus, & notorius? *Resp.* Esse necessarias, ubi procedendum est ad pœnas statutas à Concilio. Antonell. d. cap. 25. num. 5.

17. *Quer.* An meretrices peccantes cum Clericis possint ab Episcopo puniri? *Resp.* Affirmativè, tam Excommunicatione, quam carceratione. Barbosa de Jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 39. §. 2. num. 61.

18. *Quer.* An meretrices possint expelli à propriis domibus, si habitent apud Ecclesias, vel apud Moniales? *Resp.* Affirmativè. Barbosa ubi supra lib. 2. cap. 13. num. 57.

19. *Quer.* An sint aliæ pœnæ in Jure contra concubinarios? *Resp.* Quòd si sint publici, & moriantur absque signis pœnitentiæ, sunt privandi Ecclesiastica sepultura, Decian. tract. crimin. lib. 6. cap. 21. num. 26. Pignatellus, qui alios DD. cumulat dict. tom. 9. Consult. 139. num. 228. ubi docet, quæ signa pœnitentiæ in tali casu sufficiant.

20. *Quer.* An polluat Ecclesia, si in ea sepeliatur publicus Concubinitus impœnitens? *Resp.* Negative. Layman. lib. 3. tract. 5. cap. 12. de Sepultur. n. 12. Sed si cognoscatur, erit exhumandus. cap. Sacri, de Sepult. Pignatellus dict. num. 228.

21. *Quer.* Quomodo cognoscatur, quòd moriens dederit signa pœnitentiæ? *Resp.* Si nomen Jesu invocaverit; si dixerit: *Miserere mei Deus.* Si manibus pectus tulerit, Si Confessarium petierit. Pignatellus ubi proximè, & Thesaur. de Pen. dict. Verb. Concubinitus cap. 1. num. 5. ubi DD. qui adveniunt, super his sufficere unum testem.

22. *Quer.* An valeat legatum, seu donatio facta à Clerico Concubina? *Resp.* Non valere, prout non valet, si fieret à milite armata militiæ, neque ab Advocato, qui comparatur, juxta DD. quos allegat Antonell. d. cap. 29. in fine. & Thesaur. de Pen. verb. Concubinitus, n. 6. ubi ait, tale legatum, vel donationem neque in foro conscientie valere. Excipe, nisi Concubina fuisset emendata. Pignatell. ubi sup. num. 234.

23. *Quer.* An congressus cum alterius Sponsa sit simplex fornicatio, seu adulterium? *Resp.* Esse hinc inde opiniones. Canonistæ videntur tenere, quòd sit Adulterium. Theologi verò, quòd sit simplex fornicatio, quamvis cum hac circumstantia initorum Sponsalium aperienda in Confessione. Sanchez de Matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 2. num. 6. Diana part. 1. tract. 7. resol. 5.

CAPUT LXVIII.

De Stupro.

1. *Quer.* Quid sit Stuprum? *Resp.* Stuprum est defloratio Virginis ipsa invita. Dicitur invita, quia, si consentiat, erit tantùm fornicatio simplex, nec circumstan-

Erot. Ec. C. LXIX. De Rapt. C. LXX. De Adulterio. 103

tia in Confessione aperienda. Sanchez de Matrimon. lib. 7. disp. 12.

2. *Quer.* An Stuprum committi possit etiam cum muliere non Virgine? *Resp.* Affirmative, sed largo modo dicitur Stuprum, nempe quando copula per vim habetur cum Vidua, seu alia muliere honeste vivente. Antonell. d. lib. 6. cap. 30. num. 1.

3. *Quer.* Quæ poenæ sint inflictæ de Jure Civili contra committentes Stuprum? *Resp.* Quod Stuprum commissum cum violentia punitur poena mortis, si sit completum. l. 1. §. fin. ff. de Extraordin. Crimin. Gloss. in cap. 2. verb. Plectendus, de Adulter. & Stupr. At si completum non sit, poena extraordinaria arbitrio Judicis punitur. Barbosa in cap. 1. num. 6. de Adulter. Ubi verò non sit violenta, de Jure Civili non punitur, nisi Officialis prætextu Officii mulierem carnaliter cognoscat. Riccius in Collect. par. 3. decis. 559.

4. *Quer.* Quæ sint poenæ de Jure Canonico? *Resp.* Stuprator Laicus, si Virginem seduxit, vel deceptit, in foro contentioso tenetur eam dotare, & in uxorem accipere; quod si nolit eam in uxorem accipere; data dote, ulterius punitur Judicis arbitrio. In foro consensuæ, si nolit eam ducere, tenetur ad dandam dotem, & alia damna refarcienda. Antonell. d. cap. 30.

5. *Quer.* An sint casus, in quibus stuprator non teneatur dare dotem? *Resp.* Esse sequentes: Si puella sponte in copulam consenserit, vel leviter rogata. Si Virgo non vivebat honeste, nec servato verecundia pudore. Si puella post stuprum patitur se ab aliis carnaliter cognosci. Antonell. d. cap. 30.

6. *Quer.* Quæ sint poenæ contra Clericos stuprum committentes inflictæ? *Resp.* Quod damnatus de stupro Clericus efficitur infamis, & subinde irregularis evadit, ita, ut absque dispensatione ad ordines, & beneficia promoveri non possit, tam si fuerit factum stuprum cum violentia, quam sine violentia. Majol. de Irregular. lib. 5. cap. 40. num. 1. Diaz in Praxi cap. 85. num. 2. Farinac. quest. 147. num. 62. Ulterius tenetur iste Clericus puellam dotare, ac poenam Judicis arbitrio subire. Farinac. d. quest. 147. num. 108. Abb. in cap. 1. & 3. de Adulter.

CAPUT LXIX.

De Raptu.

1. *Quer.* Quid sit Raptus? *Resp.* Raptus est abductio masculi, vel feminae, illata vi, libidinis causa. Dicitur illata vi, quia, si puella sponte discedat cum Amasio, dicitur fuga, & non raptus, & non additur circumstantia distincta à fornicatione. Diana part. 1. tract. 7. resol. 37.

2. *Quer.* Qualis vis requiratur ad hoc delictum constituendum? *Resp.* Sufficere etiam vim non absolutam; illam scilicet, quæ procedit ex suasionibus, importunis

precibus, & blandimentis. Navar. cons. 1. de Raptor.

3. *Quer.* Quæ sit poena de Jure Civili contra Raptores inflicta? *Resp.* Esse poenam mortis, ubi raptus fit cum vi absoluta. Si verò non fuerit cum violentia absoluta, puniuntur poena arbitraria. Bossius de Rapt. Mulier. num. 7. Quamvis Clarus in §. Raptus, teneat, semper esse inferendam poenam mortis; sed intelligendus est, quando commissæ sit copula carnalis.

4. *Quer.* Quæ sit poena de Jure Canonico contra eosdem Raptores ordinata? *Resp.* Triplex est poena. Primo, Sunt ipso Jure excommunicati, & si Clerici sunt, decidunt à proprio gradu. Secundo, Tenentur raptam mulierem dotare. Tertio, Invalidum est matrimonium cum rapta, quamdiu ipsa in potestate Raptoris steterit. Ex Concil. Trident. sess. 24. de Refor. cap. 6. Antonell. d. lib. 6. cap. 30. num. 7.

5. *Quer.* An dictæ poenæ locum habeant, si mulier rapiat adolescentem puerum ad libidinem explendam, vel ut ei nubat? *Resp.* Secundum magis communem opinionem dictas poenas locum non habere. Bonac. de Matrim. quest. 4. punct. 18. num. 7.

6. *Quer.* An valeat Matrimonium cum puella, quæ invitis parentibus discessit cum Amasio, solis ejus precibus abducta, sine violentia? *Resp.* Esse hinc inde opinioniones. Tutius autem existimari, matrimonium esse invalidum, & ideo solet prius separari, & in loco tuto reponi. Antonell. d. cap. 30. num. 11. & ita practicatur in hac Curia Patavina, in qua frequenter puellæ rusticorum ab Amasiis deducuntur à domibus Parentum recusantium eas illis concedere in Matrimonium. Unde separantur, & publicam Pœnitentiam agere coguntur, antequam ineant Matrimonium.

7. *Quer.* An sit alia poena contra Raptores de Jure Canonico. *Resp.* Eosdem esse ipso Jure infames, & per consequens irregulares, & incapaces ordinum, & beneficiorum. Navar. cons. 3. num. 5. de Raptoribus. At depositio in Clericis ordinatis, & beneficiatis est ferenda sententia. Thesaur. de Pœnis Ecclesiasticis Verb. Raptus mulieris cap. 2. in fine.

8. *Quer.* An excommunicatio lata à Concilio Tridentino contra Raptores, & auxilium dantes, sit lata sententia, & reservata? *Resp.* Esse quidem lata sententia, sed nulli esse reservatam. Thesaur. ubi supra. & Farinac. q. 145. num. 21.

CAPUT LXX.

De Adulterio.

1. *Quer.* Quid sit Adulterium? *Resp.* Est copula carnalis inter eos, quorum ambo, vel unus eorum est conjunctus matrimonio.

2. *Quer.*